



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

**VD16 H 5888**

Secvnda Pars.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Benignitas est quidam dulcor animæ exclu-  
dens omnem nequitiam scilicet omnem ira-  
cundiam, inuidiam, & accidiam, & habilitans a-  
nimam ad

- { Beneuolentiam.
- { Tolerantiam.
- { Internam lætitiã.

Et hic est finis & terminus viæ purgatiuæ secun-  
dum viam meditationis: nam omnis conscien-  
tia munda, læta est & iucunda. His tribus ade-  
ptis promptus est animus vt fursum tendat, &  
per ista cognoscere poterimus terminum no-  
stræ purgationis.

## SECUNDA PARS.

*QVOD ACCEDENS AD EXERCITI-  
am viæ illuminatiuæ, est prius purgandus & mun-  
dandus à suis peccatis per viam purgatiuam,  
vt splendores diuinæ lucis  
possit capere.*

### CAPVT XX.

**H**ACTENVS diximus de viâ purgatiua  
per quam purgatur conscientia, quæ fa-  
cilis in corde recolligi quam scripto vel  
verbo doceri potest, per quam immediate Dei  
seruus ad illuminatiuam ascensurus est: quæ ad  
illuminandum ordinatur secundum illud Pro-  
phetæ de viro iusto loquentis, Beatus vir cuius  
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo di-  
sposuit in valle lachrymarum, in loco quem po-  
suit. Vbi est notandum quod per lachrymas &  
gemitus

gemitus viæ purgatiuæ mundatur anima à rubigine malorum operum : & hinc immediate assurgit ad illustrationem per diuinæ lucis radios. Et hoc est conueniens ex parte recipientis, prout experientia videmus in materiali speculo : quod si erugine vel aliqua alia re fuerit maculatum, non clare apparet in eo facies in eo speculantis, sicut quando est bene tersum & politum. Anima autem speculo comparatur : quia si se perfecte consideraret, in seipsa cerneret illum cuius imago ipsa est. Cùm enim ab ea abstergitur quicquid in ea obscurum est, confestim eam illustrat ille spiritualis sol splendoribus suæ gratiæ & bonitatis. Et quod plus est, quemadmodum radius huius materialis solis percutit fenestram non retro cedens, sperans quando aperiatur ei, cui si aperitur, totam illuminat domum quæ prius tenebrescebat, sic verus iustitiæ sol cuius similitudinem gerit iste sol materialis, nihil aliud expectat immobiliter nostræ conscientiæ ianuam pulsans, nisi quod ei quoquo modo aperiatur & præstemus ingressum ad feliciter quiescendum in anima nostra & sic anima spiritualiter illuminatur. Unde cum anima nostra diuinis habet irradiari fulgoribus, oportet, vt eis proportionetur & conformetur scilicet vt mundetur prius per viam purgatiuam à tenebris & sordibus peccatorum, vt conformis effecta speculo immaculato illius increatæ lucis radios capere valeat. Et quia iam assignauimus exercitia in quibus post matutinalem synaxim secundum viam purgatiuam debent occupari, quæ ad præfatam animæ purificationem

tionem ordinatur, restat dicendum de exercitiis viae illuminatiuae, ad quae aptius tempus est post completorium, secundum quod dicit Bernardus, quod in hac hora debet religiosus examinare suam conscientiam & pro beneficiis gratias agere.

*QUOMODO AD TRANSEVNDVM AD  
viam illuminatiuam exercitator debet suam  
conscientiam examinare.*

CAPVT XXI.

**E** Gressus à completorio non expedit tibi diu extra cellam demorari, aut per signa vel verba dissolui. Vt enim dicit Bernardus, post completorium nõ debet monachus loqui quousq; finita sit missa sequentis diei, nisi sit vrgens caussa. Supradicta igitur hora cellam ingressus flexis genibus vel supra pedes stans, postquam te crucis vexillo armaueris, attrahens spiritum & inuocans Spiritum sanctum, dic sequentem antiphonam: Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Et sequatur Psalmus, Deus in adiutorium meum intende, totus dicatur. Nesciens antiphonam & Psalmum, dicat ter hunc versum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Post hæc tene tibi diligenter capitulum te examinans de

peccatis, { Negligentiæ.  
          { Concupiscentiæ.  
          { Nequitia.  
ad quæ omnia alia possunt reduci.

f 4

Quan-

Quantum ad negligentiam debes te examinare in 9.

Si negligens fueris illo die,  
Cordis custodiendi: examinans te quid cogitaueris, dixeris, feceris.

Temporis expendendi:  
Finis debiti intendendi, scilicet in omnibus operibus tuis: scilicet, Vtrum ea feceris principaliter ad honorem, & gloriam Dei: ad quam omnia sunt referenda.

In oratione: Quomodo illa die diurnum expleueris officium, an tepide vel deuote: vel si aliquam prætermiseris canonicam horam: vel aliquid de tuis solitis exercitiis.

In lectione.

In bonorum operum executione. In his enim tribus debes diligenter te exercere, & cordis tui agrum excolere, vt possit bonū fructum dare in tempore suo. Et vnum horum sine alio non sufficit,

Ad dolendum de iniquitatibus.

Ad resistendum tentationibus.

Ad proficiendum in virtutibus.

Debes enim summopere

{ Desistere culpam commissam.

{ Repellere tentationem diabolicam.

{ Proficere de vna virtute in aliam.

Vt sic possis peruenire ad terram promissionis.  
Nota bene ista nouem quæ diximus pertinere ad peccatum negligentiam.

Circa concupiscentiam, debes cogitare si uult in te

Conc

{ Concupiscentia voluptatis,  
 { Concupiscentia curiositatis,  
 { Concupiscentia vanitatis.

PRIMO cogitare debes concupiscentiam voluptatis, quæ tunc viuit in te, si fuerit in te,

appetitus { Dulcium,  
 { Mollium,  
 { Carnalium.

Hoc est si quæris

{ Cibaria saporosa,  
 { Vestimenta delitiosa,  
 { Oblectamenta luxuriosa.

Quæ omnia non solum est reprehensibile appetere cum consensu, sed etiam homo debet ea respuere primo motu.

SECUNDO, te debes examinare de concupiscentia curiositatis, si viuat vel si vixerit in te. hoc autem deprehenditur,

eum appetis { Scire occulta,  
 { Videre pulchra,  
 { Habere chara.

In omnibus his est vitium auaritiæ & curiositatis; hoc autem multum reprehensibile est in viro religioso.

TERTIO, te debes examinare de concupiscentia vanitatis, quæ tunc viuit in te, si habueris

appetitum { Fauoris,  
 { Laudis,  
 { Honoris.

Quæ omnia vana sunt, & hominem vanū reddunt: & ita fugienda sunt sicut concupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia

arguere cor tuum. Attende benè hæc quæ pertinent ad peccatum concupiscentiæ.

Circa nequitiam debes te examinare, si in te viuit, vel aliquando vixerit: scilicet,

{ Iracundia  
 { Inuidia  
 { Accidia

quæ faciunt hominem nequam.

PRIMO est cogitanda iracundiæ nequitia: quæ consistit

in { Animo,  
 { Signo,  
 { Verbo:  
 vel in { Corde,  
 { Facie,  
 { Clamore:  
 vel in { Affectu,  
 { Affatu,  
 { Effectu.

SECUNDO, cogitanda est nequitia inuidiæ: quæ in

aliena { Prosperitate tabescit,  
 { Aduersitate hilarescit,  
 { Mendicitate refrigescit.

TERTIO, recogitanda est nequitia accidiæ: ex qua

oriuntur { Suspitiones malignæ,  
 { Cogitationes blasphemæ,  
 { Detractiones iniquæ.

Omnis enim talis nequitia admodum detestanda est. Et hoc modo examinata conscientia tua si te culpabilè inueneris, compunge te ante Deum & abluè peccatorum tuorum sordes; purificas  
 lacrimis

lachrymis conscientiam tuam : ac ponens in corde tuo confiteri, si quid notabile reppereris. Et attende istum modum examinandi praedictum quem ideo protraximus, vt in confessione peccatorum tuorum tibi seruiat. Non enim oportet te tam prolixè semper post completorium examinare; praecipuè si in tui custodia per uigil fueris : quin potius breuiter te examinans quomodo diem illum expenderis, debes postulare tibi veniam à Deo, dicens generalem confessionem, & Psalmum, De profundis, pro negligentijs. Et hinc transibis ad morosam & diligentem diuinorum beneficiorum considerationem. In qua recordatione diuinis fulgoribus illustraberis, cumq; te illustrari cognoueris, ignito affectu gratias age. Et vt plenius & perfectius Dei beneficia recolere valeas, per ferias ea describere volui, vt in sequentibus apparebit.

DE VIA ILLUMINATIVA SECUNDUM diuum Dionysium.

CAPVT XXII.

**P**urgata & tersa ad modum speculi conscientia vt supra diximus, tunc iam fit aptior & capacior diuini amoris, vt possit se transferre ad viam illuminatiuam, in qua incipit animam suam dilectum cognoscere : in quem propter rubiginem peccatorum suorum aspicere non poterat. Tunc autem anima se interrogat dicens : Quisnam est dilectus meus ? Et ipsa respondet sibi dicens : Ille qui tot & tanta mihi contulit bona : à cuius si possibile foret laudibus



bus nunquam cessare deberem, sed ei semper gratias referre. Hanc viam illuminatiuam habuit Propheta cum in Psalmo dicebat: *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Est tamen considerandum quòd non debemus principaliter Deum diligere propter eius beneficia, sed propter suam immensam bonitatem, & propter seipsum. Nam quemadmodum res non videtur propter lumen, tanquam propter finem, sed tanquam medium per quod clarius videtur, sic via illuminatiua appellatur illuminatiua, quia accendit, provocat, & illuminat hominem ad dilectionem Dei. Deinde dicit Bernardus: *Tot bona contulit mihi Deus, quòd si ea attenderem, & si vnus rusticus mihi ea præstitisset, eum diligerem.* Quid igitur rependam summo amatori de suis beneficijs? Reuera gratias referam & equamdiu potero recolere non lassabor. Et ne discurras per diuersas materias, & valeas morosius diuina considerare beneficia, repetenda sunt hic quæ diximus in directorio in meditationibus primæ, & tertiæ.

*DE MODO, QUÆM PER OMNES hebdomadae ferias ad animæ irradiationem religiosam debet habere in diuinorum beneficiorum recognitione, & pro eis gratiarum actione, secundum viam illuminatiuam.*

CAPVT XXIII.

**F**eria secunda post completorium diligenter consideranda

confidera creationis beneficium, prædicens in vnoquoque sequentium articulorum, Gratias tibi ago super summe Domine Deus meus,

Qui ab æterno me prædestinasti, & perpetua me charitate dilexisti.

Qui tempore quo tibi placuit, me creasti vnam creaturarum tuarum nobilissimam, scilicet hominem: non enim me fecisti lapidem, vel aliquid aliud huiusmodi.

Qui ex parte corporis dedisti mihi membrorum integritatem, complexionis bonitatem, sexus nobilitatem; liberans me à multis miserijs: faciensq; aptum ad tuum seruitium.

Qui ex parte animæ ad imaginem & similitudinem tuam me fecisti, eam tui capacem atq; immortalē faciens, nec non multis naturalibus viribus, & potentijs decorans.

Qui à tempore conceptionis in vtero matris meæ, mihi Angelum deputasti custodem: qui mihi innumera conferret beneficia.

Qui mihi parentes contulisti Christianos & me Christianum, non Iudæum, non Agarenum, aut Paganum, vel Infidelem fecisti, & in tempore fidei Christianæ.

Itaque vbi hoc recognitionis beneficiorum expleueris exercitium, & secundum hanc viam illuminatiuam gratias egeris, impone finem tuo exercitio, cum ingenti reuerentia adorans & glorificans Deum, & dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. & Canticum: Benedicite omnia opera Domini Domino: vel, Te Deum laudamus. vel Psalmum: Lauda anima mea Dominum: & finito Psalmo dices: Sit nomen Domini

mini benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: Oremus.

Gratias ago tibi Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus; qui me dignatus es in hac die per tuam sanctam misericordiam custodire, concede mihi hanc noctem mundo corde & corpore sic transire, quatenus mane tibi gratum seruitium exoluere possim. Per Christum Dominum nostrum. Itaque apponens circa te studiosam custodiam quiesce in lecto & iubilans in corde tuo dic,

{ Amator ardentissime,  
 { Amor meus,  
 O { Gloria mea,  
 { Pater meus,  
 { Spes mea,

quando diligam filiali amore? Quando te ex totis visceribus meis amplexabor? Et si hæc verba ex viscerali amore iterum, & sæpè gemaueris, experientia disces quantum proficies; & ad quem gradum proueris. & sic capies summum prædictis, vel similibus verbis iubilans.

Attende autem diligenter quòd in hoc exercitio viæ illuminatiuæ non est festinanter meditandum, vt totum percurras, sed in singulis articulis demorandum, accendens amoris ignem animam tuam quousque in admirationem dirigatur. Et si tempus orationi deputatum non sufficit nisi ad meditandum vnum solum articulum, non cures de alijs nisi vt cursim eos mente pertranseas: & ita concludes tuum exercitium.

Et hæc eadem regula obseruanda est in omnibus alijs exercitijs, non enim expedit vt totum exercitium meditando festines trāscurrere, sed si illius primordijs deuotionis, vel compunctio- nis gratia te Dominus visitauerit, claude te in- tra teipsum, & mane fixus conseruans in te il- lam gratiam & dilatans cor tuum in feruidis af- fectionibus: & circa hoc expende totum tem- pus orationi deputatum: nec te per alia disper- gas, si enim vis vltius procedere, siue vt to- tum expleas exercitium, vel alia quacunq; cau- sa continuò gratia deuotionis vel compunctio- nis euanesct, nec poteris eam ad nutum reha- bere. Et cum te amore & deuotione senseris ignitum, caue ne in fine exercitij facias prostra- tiones, vel accipias disciplinas.

Feria tertia post completorium de beneficio gratificationis.

Gratias ago tibi super summe Domine Deus meus,

Qui me dignatus es gratificare in tuo di- lectissimo filio, non parcens ei, sed illum pro me dans

in { Precium,  
Exemplum,  
Socium.

Qui dedisti mihi Spiritum sanctum,

in { Signum adoptionis,  
Priuilegium dilectionis,  
Annulum desponsationis.

Qui dedisti mihi sacramenta: primo dans mihi sanctam Ecclesiam in refugium: vbi saluari possem à diluuiio peccatorum, sicut salua- tus fuit Noë in arca.

Pro

Pro gratia baptismali, qua  
 { Deletur originalis culpa,  
 { Restituitur innocentia,  
 { Confertur iustitia.

Pro Sacramento confirmationis: cuius gratiã multi nõ sunt adepti. per quod multa mihi cõtulisti munera, & multa à me remouisti mala.

Qui ad ostendendum me gratificatum, & in tua gratia receptum, me tuo nomine vocasti scilicet Christianum, & hoc in tui memoriã constituens me filiũ & hæredem regni cœlorum. Itaque hoc exercitio huius feriæ consummato, cetera omnia facies prout dictum est in fine feriæ secundæ, secundum hanc viam illuminatiuam.

Feria quarta post completorium de beneficio vocationis,

Gratias tibi ago super summe Domine Deus meus,

Qui post tam innumera beneficia à te recepta, te spreto per diuersa peccata ad creaturas conuersum tam patienter sustulisti, tamq̃ longanimitè expectasti: neque me damnare voluisti, neque me mori in tali statu permisisti.

Qui toties & tam multipliciter errantẽ multo modis me reuocasti,

modò { Internis inspirationibus,  
 { Aliorum admonitionibus,  
 { Scripturarum exhortationibus,  
 { Tuorum beneficiorũ collationibus,  
 { Præmiorum promissionibus,  
 { Suppliciorum comminationibus,  
 { Necnon alijs modis pluribus.

Qui dignatus es auferre duritiam mentis meæ, dans virtutem voci tuæ & dans mihi bonam voluntatem : quæ est tuorum donorum præcipuum : & obstacula meæ conuersionis repulisti.

Qui quoties ad te volui conuerti paternaliter ad similitudinem illius filij prodigi Euangelici, gaudenter me recepisti, tuis amorosis amplexibus me constringens : meq; deosculans, ac mihi primam stolam & primū annulum restituens.

Qui non solum me eduxisti de seculo, sed me adunasti consortio sancto & reformato, & custodisti me à conuentu non reformato dando mihi pœnitentiæ tempus, quod est valdè pretiosum; & gratiam ad merendum : ac remittens mihi per professionem quasi per alterum baptismam, vniuersa delicta mea. Post hæc fiant cætera, sicut præmissum fuit in fine feriæ secundæ.

Feria quinta post completorium de beneficio iustificationis.

Gratias tibi ago super summe Domine Deus meus,

Qui dignatus es ita mutare voluntatem meam, vt opera pœnitentiæ, quæ mihi prius amara erant, essent mihi dulcia, & quæ mihi prius sapiebant, essent mihi insipida : dans mihi continentiam quod valde insigne est donum.

Qui dedisti mihi constantiam, & perseverantiam, sine qua fieri saluus potest nemo : cum tam multi cœperint & non perseverauerint.

Qui ne in cœptis deficerem, mihi virtutem

§

dedisti:

dedisti: & spem veniæ, gratiæ, & gloriæ, de hæc varietate consolationum internarum me confidentem reddens, dansq; gratiam profectus per odium præteritorum malorum, & per desiderium futurorum bonorum.

Qui ne in profectu lassatus succumberem, mihi mensam vbi reficerer, & educarer præparasti: dans mihi Sacramentum pretiosissimi corporis & sanguinis tui

in { Viaticum peregrinationis,  
Sacramentum communionis,  
Sacrificium redemptionis.

Qui vt plenus possem iustificari & mundari, mihi vniuersa necessaria subministraſti: dans mihi sacram scripturam & sanctos libros, velut quoddã speculum in quo defectus meos valde cernere, & affectus accendere.

Qui dedisti mihi ornamenta & exercitia virtutum, quibus turpitudinem peccatorum meorum cooperirem. Et ne in iustificatione decerem vel tepercerem, proposuisti mihi sanctorum exempla; quibus possem in bono informari & excitari. His peractis, facito omnia a-lia, sicut feria secunda digessimus.

Feria sexta post completorium de beneficio singularis dotationis,

Gratias tibi ago super summe Domine Deus meus,

Qui mihi dedisti

in bonis naturæ, { Sensum capacem,  
Memoriam tenacem,  
in bonis fortunæ, { Fortitudinem:  
Pulchritudinem:

in bonis gratiæ { Purè credere,  
Ardenter imitari.

Qui alia innumerabilia bona mihi contulisti, nam

me { Errantem reduxisti,  
Ignorantem instruxisti,  
Iacentem erexisti,

Qui mihi singularem meditandi, & interiorum me exercendi gratiam contulisti,

{ Illuminando intellectum,  
Excitando affectum,  
Cooperando affectum.

Qui non modo meum intellectum docuisti meditatione, sed quod potius est, affectum meum affecisti gustu & deuotione, & accendisti interna consolatione, dans mihi arram vitæ æternæ.

Qui ne supradictas gratias perderem, singulariter ne laberer custodisti,

{ Remouens occasiones ad peccandum,  
Dans vires ad resistendum,  
Sanans affectiones ad permanendum.

Qui si quando tentatione me superari permiffisti, fortiozem me erexisti, præstans virtutem fortius resistendi, & ponens super me manum tuam: ne prorsus frangerer. Vbi hæc compleris, adde ea quæ supra feria secunda posita sunt.

Sabbato post completorium de beneficio gubernationis.

Gratias tibi ago super summe Dñe. Deus meus,

Qui in hoc esse hæctenus me cōseruasti, dans mihi



mihî augmentum quotidianum, præstantesq; esse sanum & iocundum : cum ex me nihil sim.

Qui ab eunte pueritia vsque ad præsentem diem, tam sollicitè à tot periculis, languoribus, hostibus, & ab alijs malis pluribus me eripuisti.

Qui ad meam sustentationem sufficienter mihi victum, & vestitum præstitisti.

Qui cætera omnia mihi necessaria ministrasti, dans domum ad manendum, cubile ad quiescendum, & nō solum mihi necessaria impendisti, sed alia multa iocūda & vtilia.

Qui non solum me gubernasti, sed etiam omnes alias creaturas propter me in suo esse cōseruasti, & direxisti : ministrans successionem temporum, producens diuersitatem fructuum ad tollendum fastidium.

Qui non modo me rexisti deducens me per prospera, sed etiam per aduersa : in quibus mihi multa impendisti bona, purgando delicta, augendo merita. Et quod plus est, quod semper circa me ita es sollicitè intendens, & intentus sollicitus, ac si vacares à cæteris. Et semper mihi es præsens omnia opera mea prospiciens. Finito hoc exercitio, addantur cætera vt in feria secunda.

Die Dominica post completorium de beneficio glorificationis.

Gratias ago tibi super summe Domine Deus meus,

Qui mihi gaudia Paradisi promifisti scilicet supra me diuinitatis fruitionem, redemptionem & matris eius visionem. O Domine quantum gaudium erit mihi videre Regem cælorum & decorem

decore suo, & Dominam meam virginem MARIAM totam deificatam & glorificatam: Circa me, frui sanctorum societate iocundissima, propter eorum qualitatem. sunt enim speciosissimi, nobilissimi, charitate plenissimi, & in numero plurimi. Intra me, stolam animæ & corporis ratione quadruplicis dotis: quæ illud decorabit, immortalitas illud circundabit: atque supra solem fulgebit. Extra me, locum amenissimum, delitiosissimum; & omni quod delectare potest refertissimum;

Scilicet, omni {  
 Odore,  
 Sapore,  
 Candore,  
 Altissimum,  
 Spatiosissimum,  
 Luminosissimum.

Qui alia plura gaudia mihi daturus es, ut promisisti: non enim tantummodo fruar his, quæ sunt supra me, iuxta me, & intra me; sed etiam his quæ sunt subtus me: cum prospexero me tam sanos & terribiles tua gratia & virtute hostes deuicisse, & commissos reatus tua clementia defleuisse: & tam dolorosos cruciatu tua misericordia euasisse.

Propter alia multa bona, quæ mihi impensurus es: quæ

sunt {  
 Tam multa, ut nequeant numerari.  
 Tam magna, ut nequeant mensurari.  
 Tam pretiosa, ut nequeant extimari.

Gaudens gaudebo itaque amotione omnium malorum, & impletione omnium desideriorum:

rum: omne habens quod cupiam & nihil habens quod odiam. Cætera explenda sunt sicut feria secunda.

Aduertendum quòd in qualibet prædictorum considerationum non cursim, sed morose te debes habere, vt supra meminimus. Rursum vti debes in singulorum recordatione beneficiorum aliquibus punctis eleuatiuis ad intellectum eleuandum, & affectum inflammandum, qualia sunt,

- O { Summa bonitas,
- { Altissima,
- { Incomprehensibilis maiestas:
- O { Ardentissime amator,
- { Suauissime inhabitator,
- { Sanctissime sapor:
- O { Rex præclarissime,
- { Magister sapientissime,
- { Nutritor sufficientissime:

O { Largissime creditor,
- { Diligentissime custoditor;

quando tibi Domine dignè potero gratias agere

pro tot { Beneficijs,
- { Donis,
- { Misericordijs?

Et non tantum in his exercitijs viæ illuminationis, huiusmodi punctis eleuatiuis, & affectiuis debes vti, sed etiam in alijs exercitijs.

Vtendum est præterea in cõsideratione prædictorum beneficiorum aliquibus sacra scripturæ auctoritatibus ad eleuandam mentem aptis vt est illud, Benedictio, claritas, sapientia, gratia

tiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. & illud: Regi autem seculorum immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen. & illud: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius; & alia huiusmodi.

Considerandum quod gratiarum actione in alijs quoque exercitijs vtendum est. Oratio enim si fit perfecta, tres debet habere partes: scilicet,

- { Culpæ recognitionem,
- { Misericordiæ implorationem,
- { Gratiarum actionem.

Et à quolibet horum trium potes orationem inchoare; non enim necesse est semper incipere à defectuum consideratione: sed secundum statum animæ scilicet incipientes à consideratione suarum miseriarum, proficietes ab actione gratiarum, perfecti vero ab affectionibus & suspirijs vnitiuis & amorosis: descendetes nunquam ad suas misérias intuendas, & ea quæ timorem ingerunt.

*QVOMODO VIA ILLVMINATIVA EX multis partibus recipit radios suæ claritatis, & præcipuè ab oratione Dominica: quam religiosus contemplari debet diligentissimè, affectuosissimè, & deuotissimè: vt incendio flammescat diuini amoris.*

#### C A P V T XXIV.

*Sicut à sole sidera radios recipiunt suæ luminositatis.*

nositatis, sic via illuminatiua ab illo sole iustitiae Redemptore nostro recipit splendorem suae claritatis scilicet ab eius sanctissima vita, exemplo, & doctrina. Nam vita Saluatoris nihil aliud est, quàm quidam illius aeternae claritatis splendor, ad animarum illustrationem. Et ideo oportet si in spiritualibus cupis copiosè illuminari, te frequenter recolere vitam, exempla, & doctrinam Domini. Recipit quoque hac via illuminatiua, influentiam sui luminis ex vitis sanctorum Patrum: quae nobis in exemplaritate sunt prudenter nobis imitanda. Recipit quoque haec via influxum ab omnium creaturarum sollicita consideratione; à sanctarum scripturarum assidua lectione; à diuini verbi crebra auditione; à continua & praecipue Dominica oratione. Et ut intellectus tuus clarius valeat irradiari, & affectus ardentius inflammari, enodabimus hinc in sensu spirituali scilicet analogico orationem Dominicam secundum septem petitiones in ea contentas. Dicamus igitur

PATER noster, id est, ô Pater dulcissime, tu es qui spirituales generas filios, per seminis tui dulcissimi amoris in eorum corda diffusionem, qui eis praestat vitam. Igitur si ego Domine verus sum filius tuus, ostende quomodo te vero amare queam diligere, & ex totis praecordijs meis amplexari. Tu quidem Domine es Pater noster: & diffundis affluenter in omnibus te diligentibus bonitatem tuam. Si autem ego te verè diligere, destillaret aliquid in me de largitate roboris tuae gratiae & charitatis. O Domine da mihi

vt te toto ardore valeam diligere, si enim toto conamine te diligerem voluntatis, appareret in me tuæ largitas bonitatis. Et hoc modo potest intelligi quod sequitur in oratione Dominica scilicet anagogice. Itaque præcedente meditatione eo modo quo diximus, nostri amoris affectio paulatim exardescet. Nam sicut stupa mada facta in igne posita, primo exiccatur, deinde accenditur; sic & cor multo plus ignescit & in Deum eleuatur per præcedentem meditationem. Et per hunc modum potest anima deuota dicere illud quod mox sequitur, *QVI ES* in cœlis. O miserabilis anima mea quando ad similitudinem cœli efficeris clara & limpida & diuersitate virtutum sicut cœlum stellarum varietate adornaberis. Tunc pater optime cognoscam, quia tibi placet in me habitare, cum te ardentissimo amore amplexabor, & à peccatorum meorum facibus per incendium tuæ dilectionis purgatus fuero. Tunc cognoscam te proculdubio, cum tua gratia obumbrabit mihi, & dignaberis venire ad inhabitandum templum animæ meæ à peccatis mundatæ.

*Petitio prima.*

Sequitur deinde: *SANCTIFICETVR* nomen tuum. O sanctissime Pater; tunc nomen tuum in nobis sanctificabitur, id est, cognitio nominis tui erit in nobis sine terra, hoc est sine omni carnali affectione & diligeris à nobis solum super omnia quæ in mundo sunt. Cum ego Domine hoc fuero assequutus, non habebit in me locum terra, quæ est carnale desiderium: tu

enim benignissime Pater per tuam gratiam & charitatem solum in me habitabis.

*Secunda petitio.*

AD VENIAT regnum tuum: heu me peccatorem nequissimum. quia sæpe fatagunt intrare & regnare in me cœnodoxia, voracitas, & carnis voluptas: ego vero Domine nollem ut in me quicquam regnaret, nisi tu superoptime Pater, qui es in cœlis. Tunc autem in me verè regnabis, cum te ardentissimè amauero. Quando igitur Domine te possidebo, & amorosæ charitatis vinculis amplexabor; ut tu solus in regno meæ voluntatis iniquitatum tenebris pleno incipis regnare?

*Tertia petitio.*

FIAT voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Tua autem voluntas tunc in me primo fiet, cum ego miser & vermis totus terrenus consensero tuæ voluntati, quantum possibile est humanæ fragilitati sicut consentiunt illi beati spiritus: qui in cœlis facie ad faciem contemplantur tuam maiestatem. Veruntamen ô Deus meus dulcissime quid me faciet tuæ voluntati consentire, nisi feruor tui amoris, qui copulat contrarias voluntates, & diligentem te tibi conformat; & miro modo transformat de claritate in claritatem? Quando igitur te diligam ex toto corde ô bone Iesu Domine & redemptor mihi? Quando tibi soli consentiam, nisi cum amoris glutino tibi soli adhæsero?

*Quarta petitio.*

PANEM nostrum quotidianum da nobis hodie

hodie. O panis Angelorum, quando de te dulcissimo cibo saturari potero. Per te panem viuuum qui de cœlo descendisti, viuunt Angeli & spiritus beati in regno tuo; tibi Pater optime & redemptor ignitis amoris adhærentes desideris. Vt ergo illo cibo quo in cœlesti gloria viuunt Angeli, in hac mortali vita ego valeam sustentari, & vt mensæ tuæ æternæ beatitudinis epulas valeam degustare, ô Pater optime & æterne da mihi semper hunc panem: quia superplenum inquietudine est cor meum, donec te pane viuuo aliquatenus impleatur: qui de cœlo descendisti; cum panis tui amoris sit panis quotidianus: tantò enim auidius appetitur, quanto ardentius amatur.

*Quinta petitio.*

ET DIMITTE nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. O bone creditor dulcis Iesu, & redemptor meus, quando & quomodo scire potero esse mihi dimissa peccata mea? Si ego te Domine verè diligerem, indubitanter per quendam in æternum saporem à te mihi dimissa esse scelera mea cognoscerem, sicut peccatum me constituit inimicum tibi, ita si amor me tibi conglutinaret, te ad indulgendum mihi delicta mea cogeret; ac gratum & acceptum coram oculis tuis faceret. Igitur Domine & Saluator mi, quando ego potero tibi per amorem conciliari? vt experientia dicere valeam, mihi dimissa esse peccata mea, & quòd tu conuersus es in pi-  
um & mansue-  
tum.

*Sexta*



*Sexta petitio.*

ET NE nos inducas in tentationem. Et hoc peto Pater mi & creator de tua confidens bonitate, sperans me inseparabiliter tibi amore coaptari. Scio Domine, quia si post te amoris tui odor me currere compulerit, quod tibi tanto copulabor vinculo, vt facile omnia contemnam, & tibi nunquam à te diuellendus adhæream. Quis mihi Domine auxilium præstabit, vt te inueniam & te solum inseparabiliter amplectar? nam tu solus es bonus & dulcis hospes animæ: & tu solus me potes tutum reddere, & ab omni aduersitate liberare.

*Septima petitio.*

SED LIBERA nos à malo: non solum à malo poenæ infernalis, sed temporalis. Et non peto hoc chare & bone Pater vt tormenta fugiam, sed ne multo in purgatorio demorans tempore, à complemento mei desiderij impediar scilicet à visione tuæ maiestatis: quam sancti Angeli & animæ sanctæ semper cupiunt intueri. Si autem ego te vere diligerem, amor ille omnem peccatorum meorum reatum consumeret. Si ego te Domine vere diligerem, tui amoris incendium aduret mearum iniquitatum rubiginem: vt flammis ignitorum desideriorum purgatus, ad te spiritus meus sine aliqua mora in die volaret obitus mei. Quando igitur te Domine tam ardentem diligam, vt amor meus ab æternis suppliciis & diuortio tuæ visionis me liberare sufficiat? Tu Domine qui per nunquam terminanda secula viuis & regnas, hoc facturus es. Tu Domine

Domine apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio, potens es mihi in utili seruo tuo sanctas impendere virtutes: qui beatos Angelos & sanctas animas satias. Tu es Domine sapientia increata, qui splendoris tui clarissimis radiis Angelos illustras; & omnes caelestes ciues: tua enim virtus omnes viuificat creaturas. Adauge Domine amatores tuos & a terrenorum auelle amore: & eos ad tuam notitiam & amorem conuertens, ab omni auerte dispersione, & tuo regno & veritati caelesti fac appropinquare. Tu enim Redemptor noster in templo claritatis aeternae veros congregas filios Israel: qui sparsim per bonorum terrenorum concupiscentias discurrunt. Vnde frater ora sic dicens, O bone Iesu dulcis & speciose, suavis & misericors, miserere omnium peccatorum; quos precioso sanguine tuo, & tot & tantis doloribus redemisti. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

**O S T E N D I T M V L T I P L I C I T E R**  
*quam vituperandus est, qui desidia deserit praedicta exercitia.*

**C A P V T X X V.**

**S**anctus Abbas Effrem in tractatu de cōtemplatione, durè reprehendit eos qui diuinis seruitiis dedicati, & ad sanctam religionem vocati, quibus Dominus tantam quietem & oportunitatem ad vacandum spiritualibus exercitiis, & adherendum Deo per orationis & cōtemplationis.

templationis studium contulit, inutilibus occupationibus, incuria, negligentia, & torpore non curant in eis exerceri, aduersus quos tales adducit rationes: Primo, quia isti non obediunt Dei præcepto: qui ait, Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Per hoc nobis insinuans, quia circa hoc debemus nos singulariter intendere, occupari, & contemplari scilicet quoniam ipse est Deus & Dominus qui summè diligendus est. Si igitur religiosus huiusmodi exercitia spernit, clarè patet eum esse inobedientem, & præmemorati præcepti transgressorem.

Secunda est, quia ex hoc apparet quod religiosus modicum diligit Deum, & minus quam quamcunque aliam rem, non implendo quæ ad suum habitum & religionem pertinent. Et cum Dei specialis amicus & cultor nominetur, & sacram Scripturam quæ est imago Dei iugiter legat vel audiat; & diuinum decantet officium, quod est cum Deo loqui, & quod hæc omnia non sentiat monachus, magnum indicium est quod modicum diligit Deum, & modicam partem habet cum eo. Vnde bonum fuisset ei, si ad religionem non venisset.

Tertia est: quòd quanto isti tepidius & negligentius Deum colunt, tanto sunt minus certi de eius gratia, & quia eum non requirunt non ostendit eis aliquod amoris signum. Vnde accidit vt ad eorum confusionem sæpe quibusdam in seculo manentibus, & simplicibus, & idiotis maiora ostendat amoris insignia: quia fidelius & diligentius eum colunt, diligunt, & quaerunt.

Quar

Quarta ratio est, quia qui huiusmodi sunt per magna indicia manifestant in se parum boni esse, qui in altiori statu positi, pigriores, frigidiores, inutiliores & indeuotiores sunt his, qui in minori statu sunt constituti. Et ideo merito à Domino repelluntur, despiciuntur, & in aliorum in humiliori statu degentium scandalum dantur.

Quinta, quia dedit eis maiorem opportunitatem ad bene viuendum quam cæteris omnibus, & eos à laboribus hominum elongauit, ut possent ei vacare. Et quia tempus ad Deo vacandum eis impensum viuentes delicatè, segniter, & negligenter expendunt, non est mirum, si eis Dominus non dat sentimentum sui, neque sui amoris gustum.

Sexta est, quia Deus constituit eos medios inter seipsum & populum, & vult ut comedant peccata populi, quod & faciunt, & hoc non obstante, ipsi non satagunt adhærere Deo per assiduam orationem, contemplationem, & bonorum operum exercitationem. Unde fit ut per hunc contemptum eum prouocent contra se ipsos: & sic indignos se ipsos reddunt, ut sint mediatores inter Deum & populum; & ad recipiendum emolumenta, quæ ob hoc eis à populo impendantur.

Septima ratio, propter quam orationis & contemplationis exercitia religiosi sunt magis necessaria, est, quia eos faciunt in tentationibus fortiores, & à peccatis elongatiores, & aliorum exemplaria, & iustiores & ad corrigendum peccata aliorum feruentiores. Et propter omnes prædictas rationes hortatur præfatus

tus

tus sanctus Pater vt religiosus nisi sit occupatus ratione obedientiæ, relictis omnibus se tradat exercitiis orationis, & contemplationis. Itaque propter vitandam prolixitatem, prætermittimus hic plura alia documenta, quæ ad hanc materiam adduci potuissent Vnde dantes finem in hac via illuminatiua, dicamus de via vnitiua & perfecta.

## TERTIA PARS.

*QVID EST VIA VNITIVA, ET PERFECTIVA; & de conditionibus eius, qui ad eam cupit peruenire.*

## CAPVT XXVI.

**D**IXIMVS de via illuminatiua, quæ intellectum illuminat: & quomodo monachus poterit meditando ad finem operatum, qui est adhærere Deo, per amorem pertinere: tempus est vt tractemus de via vnitiua & perfecta, quæ vnit animam cum Deo, & facit eam perfectam. Et hoc est secundum doctrinam Sanctorum, vt supra dictum est ad veram sapientiam peruenire. Diffinientes autem primo viam vnitiuam dicimus, quòd est illa qua quis bene purgatur & illuminatus amorosè vnitur creatori suo, exultando de perfectionibus eius, illi soli placere desiderans, libèter & deuote nunc ipsam magnificat, nunc laudat, nunc admiratur; totus languet amore eius, vt possit dicere illud Cantorū: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, & illud: Fulcite me floribus, stipate me